Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31237
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

presbiteri sub adriano principe. quorum primus post uincula et carceres. eculeum. ungulas et ignes. punctis crebrerrimis per tota membra peremptus est. Sequentes uero post longam carceris sustinentiam. ignibus examinati. ad ultimum decollati sunt. Ipso die. sancti iuuenalis epi et confessoris. iiii nonas may. 4. Maij.

In palestina ciuitate gaza. natale beati siluani eiusdem urbis epi. qui persecutione diocleciani cum pluris clericis suis. martirio coronatus est. Iherosolimis. passio beati quiriaci episcopi sub iuliano imperatore. In metallo fanensi. sanctorum martirum quadraginta. qui simul capite sunt cesi. Nicomedie. natale antonie martiris. que nimium torta. et varys afflicta cruciatibus. ab uno brachio tribus diebus suspensa. et in carcere biennio detrusa. ad ultimum in confessione domini flammis exusta est. In noricorupensi. sancti floriani. qui presidis iussu. ligato ad collum saxo. in flumen anisi precipitatus est. iii nonas may 5. Maij.

Apud alexandriam. sancti eutimy dyaconi in carcere quiescentis. Tesalonice. natale sanctorum hirenei. peregrini. et hirenis. ignibus conbustorum. In gallys ciuitate arelatensi. beati hylary episcopi et confessoris. Item uienne. sancti nicecy episcopi. Autisiodoro. sancti uiuiani. ii non may 6. Maij.

Beati iohannis apli. quando ab epheso iussu domiciani romam perductus. et pre

* Sancti Sacerdotis, Episcopi Saguntini, ex Ordine Cistercienfi.